

nec hoc iustam causam non acceptandi Bullam Coenæ præbet, eò quòd Hæreticorum libri profani, qui Hæresin unam vel plures obiter tantum, & sine vera periculosa al qua propugnatione aut defensione continent, aut similiter, aut non aliter de Religione incidenter in eis tractent, per Bullam Coenæ prohibiti non censentur per dicta supra à num. 50. Copia verò, aut multitudo eorundem Hæresin modò num. 46. 47. 48. Specificato continentium, vel de Religione principaliter, aut incidentaliter ex instituto tamen tractantium, iustam causam non acceptandi prohibitionem minime tribuat, sed potius eandem faciendi, necessitatem imponat; cum ex copia & multitudine talium librorum crescat, & augeatur periculum perversionis animarum, dilatationis Hæresis, veræque Religionis & Ecclesie g ave præjudicium, indeque confurgat necessitas, aut certè iustissima prohibendi hos libros causa. Accedit, quòd nulla sit necessitas habendi prohibitos Hæreticorum libros, cum de quavis materia & obiecto libri Catholicorum, aut certè Hæreticorum Bulla Coenæ non prohibiti ad abundantiam habeantur. Consequenter à primo ad ultimum, quia nulla datur iusta ratio, vel rationabilis causa non acceptandi sanctissimam Bullam Coenæ, non potest non acceptati: cum eam non acceptantes semper continuo peccent.

89 Dices: dato quòd nulla detur iusta causa non acceptandi sanctissimam Coenæ Bullam, consequenter primi illam non acceptantes tempore aliquo semper, & continuo peccent: tamen saltem successa temporis praxi & consuetudine contraria legitime præscripta abrogari potest; cum quævis lex humana (qualis est Bulla Coenæ) consuetudine legitime præscripta abrogari possit iuxta unanimem DD. arg. c. fin. de Consuetud. & amplius diximus Lib. I. Tit. II. de Conſtit. Et Tit. IV. præsertim §. V. à num. 142. ubi docuimus etiam malà fide, & peractus peccaminosus introducti posse consuetudinem abrogantem Leges. Censetur autem de facto jam in Germania & aliis quibusdam Hæresi infectis Provinciis similis per actus, eſti ab initio peccaminosus introducta consuetudo Bullæ Coenæ contraria, eamque abrogans, eò quòd ibidem in plurius non observetur, sed passim, & liberè violatur. Violatoribus propterea nec declarationem Excommunicationis incurſe, nec aliam penam sententibus,

90 Ad hanc objectionem (quam à nonnullis in Jure minus fundatis sepe audire est) respondetur rursus, negando Suppositum, videlicet, quòd contra Bullam Coenæ introduci, aut legitime præscribi valeat rationabilis aliqua consuetudo legitima: Tum quia consuetudo adversus libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam etiam immemorialis, semper invalida ac illicita est, prout ex utroque Jure late probavimus Lib. I. Tit. IV. de Consuetud. à num. 61. Consuetudo autem contra Bullam Coenæ, vel maxime adversatur libertati, & immunitati Ecclesiasticæ: utpote pro qua principaliter edita, & cuius de facto firmissima, & quasi unica columna existit. Tum, & quidem præcipue; quia sepe dicta Bulla Coenæ continuo revocat, & annullat omnes & singulas etiam immemoriales, & longissimis temporibus præscriptas consuetudines, & alia quæcunque excogitabilia effugia, per subterranam Clausulam dignissimam, ut per extensum hic referatur, quæ sic sonat: Non obstantibus privilegii, indulgentiis, indulgiis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus supra dictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis, ejusdemque ordinis, statùs, vel conditionis, & præsententia fuerint, etiam si ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ec-

clesiasticâ, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, & Civitatibus, seu locis à prædicta Sede ex quavis causa etiam per viam contractus, aut rememerationis, & sub quavis aliâ formâ, & tenore, ac cum quibuscumque Clausulis etiam derogatoriæ derogatoris concessis, etiam continentibus, quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, ac expressam, ac de verbo ad verbum, de privilegiis, indulgentiis, & indulgiis hujusmodi, ac de Ordinibus, locis, & nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, nec novæ de consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & aliis quibuslibet observantiis scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias quò minus includantur in eis, se jurare vultant, vel tueri.

Urgebis, per hanc Clausulam revocari, & annullari duntaxat consuetudines priores, seu Bullam Coenæ antecedentes, non verò posteriores, seu illas, quæ post Bullam jam conditam de novo fuisse introductæ; Clausulæ siquidem si derogatoriæ ac revocatoriæ consuetudinum; præcisè afficiunt, & annullant consuetudines antecedentes, non verò subsequentes legem, nec obstant, quia post talem legem de novo introduci valeat consuetudo legi contraria, prout cum Communi aliorum amplius dictum est Lib. I. Tit. IV. de Consuetud. num. 185. atque consuetudines Germanicæ, & aliarum Provinciarum Hæresi infectarum, etiam post conditam Bullam Coenæ adhuc introductæ, & legitime præscriptæ fuisse; ergo, Resp. Transmissâ Majore, iterum negando Minoris suppositum, videlicet, quòd post Bullam Coenæ iterum introducta, & præscripta fuerit, aut præscribi potuerit valida aliqua consuetudo contraria: Tum ob rationem num. præc. I. dictam: Tum & præcipue, quia quivis Pontifex Bullam Coenæ de novo tanquam novam Legem condit, eamque singulis annis in Coena Domini solemniter renovat, & confirmat, atque omnes consuetudines etiam immemoriales, ac longissimas præscriptiones annullat, & revocat, sique facit, quòd nullo unquam tempore legitime introduci, & præscribi valeat aliqua consuetudo, etſi aliàs dato, non concessio rationalibus, ac præscriptibilis eſset; cum quævis consuetudo ei contraria introduci cepta, per jugiter sequentes novas Bullæ emanationes & renovationes, Clausulasque derogatorias, statim iterum, & antequam tempore ad eam præscribendam requisito continuari valeat, revocetur, & sic subsequenter; ut proin impossibile sit, ullam consuetudinem tempore ad eam præscribendam requisito introducere, hoc ipso, quòd quævis introducti cepta, statim iterum revocetur.

Et ex his manifestè patet, omnes praxes, & consuetudines sive in Germania, sive in aliis Provinciis de facto existentibus, nullo modo legitimas, licitas, & validas esse consuetudines, sed meros abusus, & corruptelas, à peccato, & censurâ minime excusantes; non obstantes, quòd locorum Ordinarij contra Transgressores plerumque non procedant, nec illos excommunicatos declarent; quoniam hi dum ad avertenda majora mala, & aliis iustis de causis similes etiam patentes Bullæ violationes necessario dissimulant, eas minime approbant, sed Deo vindicandas relinquunt; coram quo sicut sub inani prætextu non acceptat, aut consuetudine abrogatæ Bullæ, aut similibus futilium rationum nullus à culpa est liber, sic nullus penam nec hic nec ibi evadet. Quod utinam magis considerarent quidam Politici, & occulti vel etiam aperti Jurisdictionis & immunitatis Ecclesiasticæ, potestatisque

& autoritatis Pontifici inimici, irrisores & contemptores, nec non statui suo Ecclesiastico difformes, tepidi ejusdem defensores, aut neglectores. Obijciunt quidem etiam, vel potius immerito murmuran, & iniuste conqueruntur ipsi Hæretici, quòd apud nos libri eorum prohibeantur, quin & igni tradantur. Mentuntur enim plebi, id à nobis fieri partim ex odio veritatis & fugâ locis; partim quia timemus, ne (ajunt) Lectores inveniendes in eorum libris nostros errores, & ipsorum solida fundamenta, à nostra ad ipsorum Religionem veram (scilicet) tranſeant; partim quia non possumus rationes ac fundamenta ipsorum solvere. Unde ex iustissima prohibitione occasionem etiam iniuste fumunt jaçandi se, & superbiendi, indeque ulterius decipiendi, & in falsa Secta confirmandi communem plebem, additâ etiam dolosâ, & venenosâ Clausulâ, Pontifices adimere Catholicis non tantum libertatem, sed etiam occasionem & potestatem in maxime momentoſo, & æternam salutem principaliter concernente puncto Fidei, ac Religionis scitu necessariam veritatem indagandi.

94 Verum quàm inique, dolose, mendaces, injuriose, & calumniose sint hæ querelæ, & dictæria Hæreticorum, curvis vel parùm experto, & erudito patet. Enim verò nequam ex allegatis causis, vel aliqua ipsarum, sed idèò prohibentur libri Hæreticorum de Religione tractantium, aut Hæresin ut luprà continentium; quia ferè omnes repleti, vel certè infecti sunt mendaciis, calumniis, fallacijs, falsis allegationibus, textibus dolose truncatis, vel iniuste falsificatis, Sophismatibus &c. idque sub specie boni, uti Catholici Scriptores præsertim Controversiæ passim demonstrant, hæreticorumque librorum rationes, & fundamenta ad occultum tam clarè refutant, ut quivis errores eorum aperit videre, quin & palpare valeat. Ex quibus Catholicorum libris controvertentibus quilibet securissimam occasionem, & plenam libertatem habet in puncto Religionis, & Fidei se sufficienter informandi, principia & fundamenta, veritatibus signa, & notas Catholicorum cum principijs, fundamentis &c. Hæreticorum conferendis, simulque videndi, quinam pro sua Religione majora, certiora, securiora, ac solida veritatis fundamenta, signa, & notas habeat.

95 Porro quòd ex dictis, & alijs iustis de causis libri Hæreticorum, & alij nocivi merito prohibeantur, quin & igni tradantur, sancto etiam antiquæ Ecclesie (quàm Hæretici quoque veram fuisse fatentur) exemplo & praxi, nec non ipsis antiquorum Imperatorum sanctionibus & legibus probatur, & confirmatur. De qua praxi antiquissimi testantur Scriptores, ut Clemens lib. I. Apostolic. Constit. cap. 7. Alexander Episcopus Alexandrinus in Epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum, apud Theol. Lib. I. Hystor. cap. 4. & Tom. I. Concil. Severini Binci fol. 281. Constantinus Imperator in Epistola ad Episcopos, & populum apud Socratem lib. I. Hystor. cap. 6. Porphyrii scribit: Impia Scripta delicta penitus, & extincta fuisse; atque similiter vsium, si quod Opus ab Ario conscriptum repereratur, illud cremandum esse. Ad id etiam notandum: ut si quis librum ab Ario composurum occultè deprehensurus fuerit, & eum non statim in mediâ adduxerit, igne combusserit, morte mulieretur. Quod Decretum de Arij libris comburendis fuerat etiam factum in Concilio Nicæno apud Niceph. lib. 8. Hystor. cap. 18.

96 Audiamus etiam Leges Civiles I. Decree. 3. §. 1. de SS. Trinitate. Sancimus igitur, ut omnia, quæ con-

que Porphyrius sua pulsus insania (aut quivis alius) contra Religiosum Christianorum cultum conscripserit, apud quemcumque inventa fuerint, igni mandentur. Omnia enim provocantia Deum ad iracundiam scripta, ne ad aures quidem hominum venire volumus. Et infra §. 3. Quoniam verò pervenit ad pias aures nostras, quod quidam doctrinas quasdam conscripserunt, & ediderunt ambiguis, & non per omnia congruentes expositæ Orthodoxæ Fidei à sancta Synodo eorum SS. Patrum, qui Nicææ, & Ephesi convenerunt Eccl. jubemus facta hujusmodi scripta, sive antea, sive nunc (potissimum autem ea, quæ Nestorii sunt) comburi, & perfectissimo interitu mancipari, ita ut in nullius cognitionem venire possint: His, qui talia scripta, aut tales libros habere, aut legere sustinerint, ultimum supplicium experturi.

Patet ad propositum sonant sequentes Leges, videlicet, l. Quicumque. 8. §. fin. C. de Hæresic. ibid. Nulli etiam contra Venerabilem Chalcedonensem Synodum liceat aliquid vel dicere, vel scribere, vel edere, aut aliorum dicta vel scripta super eadem proferre. Nemo hujusmodi habere libros, & sacrilega Scriptorum audeat monumenta servare: quòd, si qui in his criminibus fuerint comprehensi, perpetua deportatione damnentur. Item l. Ex Manichæo, 16. §. 2. C. eod. ibi: Qui habet libros Manichæicos, & non manifestat eos, ut comburantur, puniatur: cum Concordantiis.

Quibus accedit, & causam ex integro justificat ipsa S. Spiritus doctrina. 17. 19. registrata illis verbis: Multi ex illis, qui fuerant curiosa sectari, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.

Et hæc de facta per Bullam Coenæ prohibitione librorum hæreticorum de Religione tractantium, aut Hæresin continentium prolatus dicere oportuit: Tum ad tollendos tepidorum Christianorum Catholicorum tepida circa illam principia, & malas nonnullorum, simulque periculosa corruptelas, tum ad reprimentas Hæreticorum injurias calumnias, falsas simulationes & mendacia, periculosasque dolosas sub specie boni libris suis inperſas deceptions.

Quæritur II. Quinam libri? Et qualiter legi prohibiti sint Indice librorum prohibitorum? Antè Responſionem notandum, sacrosanctum Concilium Tridentinum, nec non plures Pontifices, in specie verò Pium IV. Sixtum V. & Clementem VIII. volentes occurrere malis & periculis, quæ ex hæreticorum, & aliorum perniciosorum librorum Læctione passim sequuntur, decreverunt, ut conciceretur certus Index librorum prohibitorum. Ex quo, & Regulis illius universaliſibus quivis videre possit, an liber aliquis, & quomodo sit prohibitus. H. N.

Resp. I. Per Indicem librorum prohibitorum triplicis, primæ videlicet, secundæ, & terciæ Classis prohiberi libros. Ad primam Classem pertinent illi libri, qui propter ipsos Auctores, Hæreticos scilicet sunt damnati, seu prohibiti. Item omnes ab Authore hæretico, vel de Hæresi publice suspecto editi illi libri, qui de Religione ex professo tractant, modo supra à num. 49. explicatis, etiamſi Hæresin non contineant. Cujusmodi Auctores plurimi in specie referuntur Ordine Alphabetico in præfatio Indicis, præmissâ cujuscumque litteræ Rubricâ Auctores primæ Classis: ad quos pertinent etiamſi expressi in Appendice. Ad eandem Classem pertinent Hæresiarum, id est illorum Hæreticorum, qui Hæresin invenerunt, aut suscipiunt, vel Hæreticorum quâ talium Capita aut Duces sunt, vel fuerunt; quales v. g. sunt Lutherus, Zwinglius, Calvinus, quorum libri omnes & singuli, eſti de Religione non tractent, nec Hæresin contineant, sed de alia quacumque tandem materia egant, per



Libri omnes & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, siue in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus rejiciuntur. Episcopi vero diligenter providant, ne Astrologia judiciaria libri, tractatus, indices legantur vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitive casibus, aut in actibus, quæ ab humana voluntate pendunt, certè aliquid eventurum affirmare audent. Permittuntur autem iudicia, & naturales observationes, quæ navigationis, agriculturæ, siue Mædicæ artis iuvanda gratiâ scripta sunt.

Observatio circa nonam Regulam.

Circa Regulam IX. ejusdem Indici ab Episcopis, & Inquisitoribus Christi fideles sedulo admonendi sunt, quod in legentes, aut retinentes contra Regulam hanc libros hujusmodi Astrologiæ, divinationum, & sortilegiorum, verumque aliarum in eadem Regula expressarum procedi potest, non modo per ipsos Episcopos & Ordinatarios, sed etiam per Inquisitores locorum ex constitutione sel. record. Sixti Papæ V. contra exercitias Astrologiæ judiciariæ artem, & alia quæcunque divinationum genera, librosque de eis legentes, ac tenentes, promulgata sub Datum Romæ, ad S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1585. Nonis Januarii, Pontificatus sui ante no primo.

Regula X.

In librorum aliarumve scripturarum impressione servetur, quod in Concilio Lateranensi sub Leone X. sessione decima statutum est. Quare si in alma Urbe Roma liber aliquis sit imprimendus, per Vicarium summi Pontificis, ac Jacri Palatii Magistrum, vel personas à Sanctissimo Domino Nostro deputandas, prius examinetur. In aliis vero locis ad Episcopum, vel alium habentem scientiam libri, vel scripturæ imprimende, aut eodem Episcopo deputandam, ac Inquisitorem hereticæ pravitate, ejus Civitatis, vel Diocesis, in qua impressio fiet, ejus approbatio & examen pertineat, & per eorum manum propria subscriptione gratiâ, & sine dilatione imponendam, sub penis & censuris in eodem decreto contentis, approbetur, hac lege & conditione addita, ut exemplum libri imprimendi authenticum, & manu Auctoris subscriptum, apud Examinatorem remaneat.

Los vero, qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante examinati, probatique fuerint, iisdem penis subiaci debent iudicari Patres deputati, quibus Impressores, & qui eos habuerint, &egerint, nisi auctores prodiderint, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, & in fronte libri scripti, vel impressi authentice appareat, probatioque & examen ac certa gratiâ fiant. Præterea in singulis Civitatibus, ac Diocesium domus, vel loci, ubi ars impressoria exercetur, & Bibliotheca librorum venialium septies visitentur à personis ad id deputandis ab Episcopo, siue ejus Vicario, atque etiam ab Inquisitore hereticæ pravitate, ut nihil eorum, quæ prohibentur, aut imprimantur, aut vendantur, aut habeantur. Omnes vero Librarii, & quicumque librorum Venalium, quos habent eum subscriptione dictarum

personarum, nec alios libros habeant, aut vendant, aut quacunque ratione tradant, sine licentiâ eorundem deputandorum sub pena amissionis librorum, & alius arbitrio Episcoporum, vel Inquisitorum imponendis: Emptores vero, lectores, vel impressores eorundem arbitrio puniantur.

Quod si aliqui libros quoscumque in aliquam Civitatem introducant, teneantur iisdem personis deputandis renuntiare, vel si locus publicis mercibus ejusmodi constitutus sit. Ministri publici ejusdem loci prædictis personis significant, libros esse adductos.

Nemo vero audeat librum, quem ipse siue alius in Civitatem introduxit, alicui legendum tradere, vel aliqua ratione alienare, aut commodare, nisi ostenso prius libro, & habita licentiâ à personis deputandis, aut nisi notoriè constet, librum jam esse omnibus permissum.

Idem quoque servetur ab hæredibus, & executoribus ultimarum voluntatum, ut libros à defunctis relictos, siue eorum Indicem illis personis deputandis offerant, & ab illis licentiâ obtineant, priusquam eis utantur, aut in alias personas quacunque ratione eos transferant.

In his autem omnibus & singulis pena statuitur, vel amissionis librorum, vel alia arbitrio eorundem Episcoporum, vel Inquisitorum pro qualitate contumaciæ, vel delicti.

Circa vero libros, quos Patres deputati aut examinarant, aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus, ut rursus excuderentur, concesserant, quidquid illos statuisse consuevit, tam Bibliopola, quam ceteri observent.

Librum tamen si Episcopi, aut Inquisitores generalibus secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, quæ his Regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis Regnis, aut Provinciis, vel Diocesis expedire iudicaverint.

Ceterum nomina librorum, qui à Patribus deputatis purgati sunt, tum eorum, quibus illi hanc Provinciam dederunt, eorundem deputatum Secretarium, Notario sacre universalis Inquisitionis Romane descripta, Sanctissimi Domini nostri iussu traditæ. Ad extremum vero omnibus fidelibus præcipitur, ne quis audeat contra harum Regularum præscriptum, aut hujus Indici prohibitionem libros aliquos legere, aut habere.

Quod si quis Hereticorum, vel cuiusvis Auctoris scripta, ob hæresin, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, siue habuerit, statim in Excommunicationis sententiam incurrat.

Qui vero alio nomine interditos legerit, aut habuerit præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, iudicio Episcoporum severe puniantur.

Observatio

De Thalmod, & aliis libris Hebræorum.

Quamvis in tertia Classe Indici prædicti Pii Papæ IV. sub littera T. Thalmod Hebræorum, ejusque glossa, annotationes, interpretationes & expositiones omnes prohibentur, sed quod si absque nomine Thalmod, & sine injuriis & calumniis in Religionem Christianam aliquando prodissent tolerantur, quia tamen Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa VIII. per suam Constitutionem contra impia scripta & libros Hebræorum sub Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Domini M. D. LXXXII. pridie Kal. Martii Pontificatus sui anno secundo, illos prohibuit atque damnavit: mens ipsis non est, eos propterea ullatenus etiam sub illis conditionibus permittendi, aut tolerandi, sed specialiter & expresse statuitur.

statuit, & vult, ut hujusmodi impii Thalmodici, Cabalistici, atque nefarii Hebræorum libri omnino damnati, & prohibiti maneant & censentur, atque super eis, & aliis libris hujusmodi, prædicta Constitutio persequatur, & inviolabiliter observetur.

De libro Magazor.

Ad hæc sciunt Episcopi, Ordinarii, & Inquisitores locorum, librum Magazor Hebræorum, qui continet partem officiorum & caeremoniarum ipsorum & Synagogæ, Lusitanicæ, Hispanicæ, Gallicæ, Germanicæ, Italianæ, aut quocunque aliæ vulgari lingua, præterquam Hebrææ editum, jam diu ex speciali Decreto rationabiliter prohibitionem esse. Ideo provident illum nullatenus permittere, aut tolerari debere, nisi Hebræicâ lingua prædita.

Post has Regulas subjuncta enim habetur instructio illis serviens, qui libris tum imprimendis, tum expurgandis deputati sunt, quam lege in fine Concilii Tridentini, post memoratas Regulas positam servit præcipit Reverendissimi Ordinatarii, & eorum Vicariis Generalibus.

113. Queritur III. Utrum Index librorum prohibitorum in Germania receptus sit, & oblige? Ratio dubitandi, & negativam tenendi est assertum quorundam absolute dicentium, Indicem librorum prohibitorum in Germania non esse receptum; & aliorum, inter quos est L. yman lib. 2. tr. 1. cap. 15. n. 8. voluntium, eum non esse receptum quoad prohibitionem librorum secunde Classis in specie vero non esse receptum Regulam IV. Indici de lectione sacre Scripturæ in vulgari idiomate. Nam autem opinio & assertum horum DD. ut profertur, in facto & Jure subsistat, patebit ex sequentibus Conclusionibus. Nam merito moveatur Controverbia.

114. Resp. I. Certum videtur, quod assertum de absolute non recepto Indice, in Facto minime subsistat. Ratio est; Tum quia nemo presumit dicere, Germanos posse omnes & singulos, quantumvis ab Indice prohibitos, etiam primæ Classis, & quorundam Hereticorum, ac Heresiarum, de quacunque tandem materia Religiosis, aut Hæresis &c. perniciosæ, & periculose tractantes legere: Tum quia prudentes, & timentes Deum passim sollicitè petant, & obinent, vel immediate à Sede Apostolica, vel ab Episcopo speciali facultate prædico licentiam legendi libros prohibitos, & hoc ipso indicant, assertum de absolute non recepto Indice carere solido fundamento. Imò id ipsi etiam Reverendissimi Germani Ordinarii aperte innunt, cum facultatem legendi libros prohibitos pro speciali gratiâ per Sedem Apostolicam sibi concessâ, & singulis quinqueannis necessarii renovanda habeant, prout etiam pro eadem elapso quolibet quinquennio sollicitè de novo instant, & hoc ipso factentur, Indicem librorum prohibitorum etiam ibi obligare, ac per consequens receptum esse. Quod etiam in Jure non subsistat dictum de Indice absolute non recepto assertum, patebit ex dicendis infra n. 116.

115. Resp. II. Etiam alterum assertum absolute dicentis, Indicem quoad libros secunde Classis non esse receptum in Germania, nec in Facto, nec in Jure videtur subsistere. Nam quod in Facto non subsistat, militare etiam videntur rationes num. præced. allatæ. Quibus accedit, quod prohibitio Indici etiam in Germania usu recepta pateat quoad plures libros ad secundam Classem spectantes, aut reducibiles, veluti libri à Catholicis Authoribus de rebus obsecris, vel practicandis sortilegij, maleficis, incantationibus &c. scripti, vel certò prædictis futura contingentiâ, quæ dependent à li-

beta voluntate humana; quos & pures similes libros editos vel edendos ob prohibitionem Indicis in Germania quoque legi non posse, passim faciatur Doctores etiam Germani, ipse quoque Layman. cit. Lib. 2. tr. 1. cap. 15. n. 8. et memorati libri ad secundam Classem spectare videntur, utpote non propter Authorem hereticum, nec propter Hæresin inibi contentam, sed ob non sanam, suspectam, moribus fidelium contrariam à Catholicis scriptam doctrinam sunt prohibiti juxta dicta n. 101. consequenter in Facto non videtur subsistere assertum L. ymani, & aliorum absolute dicentium, prohibitionem Indicis quoad libros secunde Classis non esse receptam.

Quod etiam in Jure non subsistat memoratum 116. assertum absolute prolatum militare videntur, Tum quia ad obligationem justæ legis non est necessaria acceptatio per dicta n. 81. Tum quia legem justam, qualis utique est prohibitio librorum etiam secunde Classis, subditi tenentur acceptare juxta dicta n. 83. Tum etiam quia, etsi hæc lex per consuetudinem contrariam legitime præscriptam ab gratia fuisset, tamen etiam eadem consuetudini diversis successivis temporibus cursus derogatum fuit per plures Constitutiones Pontificis subsistentes.

Nam quod bene notandum, postquam primâ vice Authore Concilii Tridentini, & Pii IV. per Bullam Dominici Gregis (quæ est 77. in Tom. 2. Bullarum inter Constitutiones dicti Pontificis, & reperitur etiam ad finem Concilii Tridentini Indici librorum præfixa) Index librorum prohibitorum sit constructus, & absolutus, eundem postea Clemens VIII. in Constitutione, Sacrosanctum Eclesiæ, quæ est 36. inter Constitutiones dicti Pontificis in Tom. 3. Bullarum Chemb. denud confirmavit, innovavit, & ab omnibus observari de novo præcepit, cunctisque consuetudinibus contrariis, interea introductis, expressè derogavit. Eundem etiam Gregorius XV. in Constitutione, Apostolicæ Officium, (quæ est 40. inter Constitutiones dicti Papa in Tom. Bullarum, & habetur insuper post Index librorum prohibitorum Concilio Trident. annexa) observari de novo præcepit, simulque revocavit, & annullavit omnes licentias legendi libros prohibitos à Prædecessoribus eicunque concessas: quod idem, & quidem adhuc magis expressè fecit Urbanus VIII. in Bulla Apostolicæ Officium, quæ est 116. in Bullario. Eundem cum Regulis illis ulterius innovavit, confirmavit, & exactè observari præcepit, consuetudinibusque contrariis forsan interea de novo introductis derogavit Alexander VII. in supra n. 110. citatâ Bulla Spectantes Israel: Idem facere, & observationem Indici præcipere videntur Pontifices Successores, dum fecerint omnes ad hæc usque tempora libros aliquos de novo prohibent, eosque Index librorum prohibitorum inferi mandant, ita ut memoratus Index continud augeatur, sicque auctus unâ cum antiquis Regulis Indici ab initio statim præfixis autoritate eorundem procedat, & exactè observari præcipiatur.

Ex quibus utique patet, quàm difficile sit, absolute manuteneri, Indicem etiam quoad libros secunde Classis in Germania non esse receptum, vel eidem consuetudine contrariâ legitime præscriptâ derogatum; cum novæ Constitutiones ejusdem observationem de novo præcipientes jugiter emanent; quæ consuetudinibus contrariis derogant, & quas utpote justas acceptandi gravis obligatio est.

Quod si quis contendat, assertum de non acceptato, vel consuetudine contrariâ derogato Indici librorum prohibitorum secunde Classis saltem



confutandos, & convertendos illos defumere, & facultate legendi libros prohibitos ad quinqueannium concedi solitã uti valerent. Quapropter cum omnia privilegia, facultates, & Rescripta gratiæ aliquid operari, & effectum aliquem habere debeant, arg. c. In his 30. de Privileg. junc. Glōsã ibidem, & media concedit, qui concedit finem, lectio autem librorum Hæreticorum sub confiscatione, sine libris tanquam mediis haberi nequeat; consequens est, libros hujusmodi non comburi, sed pro licita & utili lectione cãtã, ut suprã, asservari debere, non obstante, quod cortex verborum aliud insinuare videatur; quia etiam ad Rescripta applicari bene potest, quod de Legibus dicitur: Non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem & intensionem; quia non debet intentio verbi deservire, sed verba intentioni, can. Humane aures. cau. 22. cum Concordantiis suprã allegatis.

233 Et profecto, si juxta verborum corticem cuncti libri Hæretici, postquam ab aliquo fuere perlecti, statim deberent comburi, & non possent pro ulteriori lectione ab eodem, vel aliis in facultate legendi succedentibus asservari, jam pridem omnes libri antiqui, & manuscripta Lutheri, Calvini, aliorumque Hæresiarum, nec non principales Fidei ac Religionis Tractatus, Conciliabula, fœdera, Confessiones ab Hæreticis confecti, aut habiti comburi debuissent & adhuc deberent, non sine ingenti Ecclesiæ, & Religionis præjudicio; cum ex his ipsis libris ad oculos hæctenus demonstrati fuerint, & adhuc demonstrari possint ac debeant innumeræ, mendaciæ, contradictiones, discordiæ, falsitates, mendaciæ, deceptiones, mutationes, quas etiam in substantialibus Fidei & Religionis punctis Hæretici fecerunt, & commiserunt, quarum demonstratione ipsa simul etiam demonstratur Sectarum falsitas; hoc ipso enim, quod Religio, quæ in materia Fidei senel facta est, & errat, semper errare, & fallere possit; consequenter nec vera, nec infallibilis, sed falsa, & fallibilis sit.

234 Ceterum non negamus, quin sæpe magis expediat, libros aliquos prohibitos comburere, quam asservare; si nempe pro sine concessio nec eis profint, qui facultatem legendi habent: quod Superiorum, & aliorum prudentium iudicio relinquatur.

235 Queritur IV. Quid Juris circa Impressionem librorum Hæreticorum, & aliorum prohibitorum? Resp. I. Quid circa Impressionem librorum Hæreticorum de Religione tractantium, aut Hæresim continentium statuat Bulla Cœnæ, plenè habes suprã num. 35.

236 Resp. II. Loquendo de Impressionem aliorum librorum, observandæ erunt Ordinationes Concilii Tridentini Sess. 4. Decreto de Editione & usu sacrarum librorum, & Indici librorum ad finem ejusdem de Impressionem appositæ, quas omnes tam Concilii, quam Indici per extensum hic adducere utile duximus, ut pro majore commoditate legentium, etiam de Impressionem prohibitorum, & aliorum librorum cuncta simul ad manum habeantur.

Concilium itaque Tridentinum loc. cit. ita loquitur: Sed Impressionibus modum in hac parte, ut par est, imponere volumus, qui jam sine modo, hoc est, patentes sibi licere, quicquid libet, sine licentia Superiorum Ecclesiasticorum, ipsis Sacræ Scripturæ libros, & super illis annotationes, & expositiones quorumlibet indifferenter, sæpe expostione ementio prelo, & quod gravius est, sæpe nomine Auctoris imprimunt, alibi etiam impressos libros hujusmodi tenerè veniales habent, decernunt & statuit, ne posthac S. Scriptura, potissimum verò

hec ipsa vetus & vulgata editio quam emendatam sine imprimatur, nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primùm examinati, probatique fuerint ab Ordinario sub pana Anathematis & pecuniæ, in Canone Concilii Novissimi Lateranensis appositã. Et si Regularis fuerint, ultra examinationem & probationem hujusmodi, licentiam quoque à suis Superioribus impetrare teneantur, reguntur per eos libris, juxta formam suarum Ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel eulganis subjaceant quibus Impresores. Et qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint Auctores, pro Auctoribus habeantur. Ipsa verò hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti vel impressi authentice appareat, & ique totum, hoc est, & probatio, & examen gratis fiat, ut probanda probentur, ut reprobandi improbanda. Post hæc temeritatem illam reprimere volumus, qui ad profana quaque convertuntur & torquentur verba & sententia S. Scripture, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitioses, impias & diabolicas incantationes, divinationes, sortis, libellos etiam famosos, mandat & precipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam & contemptum, ne de cetero quicquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc & similia audeat usurpare, ut omnes hujus generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, Juris & Arbitrii panis per Episcopos coercerentur.

Index verò librorum prohibitorum ita ordinatæ Impressionem librorum prohibitorum.

§. I.

Nullus liber impostum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, & patriam præferat Auctoris. Quod si de Auctore non constet, aut justam aliquam ob causam tacito ejus nomine Episcopo, & Inquisitori libri edi posse videatur, nomen illius omnino describitur, qui librum examinaverit, atque approbaverit.

In his verò generibus librorum, qui ex variorum scriptorum dictis, aut exemplis, aut vocibus compulsi solent, is, qui laborem colligendi, & compilandi susceperit, pro Auctore habeatur.

§. II.

Regularis præter Episcopi & Inquisitoris licentiam (de qua Regulã decimã dictum est) meminerint teneri se Sacri Concilii Tridentini decreto, operi in licentiam edendi facultatem à Prælato, cui subjacenti obtinere.

Utamque autem concessionem que appareat, ad principium Operis, imprimi faciant.

§. III.

Curent Episcopi, & Inquisitores, panis etiam propostis, ne Impresoriam artem exercentes, obscenas imagines, turpese in grandisculis literis imprimi consuevas, in librorum deinceps impressione apponant.

Ad libros verò, qui de rebus Ecclesiasticis, aut spiritualibus conscripti sunt, ne characteribus grandioribus utantur, in quibus expressè appareat alicujus rei profana, nedum turpis, obscenæ species.

Qui etiam invigilabunt summo perè, ut in singulorum impressione librorum nomen Impresoris, locus impressionis, & annus, quo liber impressus est, in principio ejus, atque in fine annotetur.

§. IV.

§. IV.

§. IV.

Qui Operis alienius editionem parat, integrum ejus Exemplar exhibebit Episcopo, vel Inquisitori, id ubi recognoverint, probaverintque, penes se retineant, quod Rome quidem in archivio Magister Sacri Palatii, extra Urbem verò in loco idoneo, quem Episcopus, aut Inquisitor elegerit, reserventur.

Postquam autem liber impressus erit, non liceat cuiquam venalem in vulgus proponere, aut quoquo modo publicare, ante quam is, ad quem hac cura pertinet, illum cum manuscripto apud se retento, diligenter contulerit, licentiamque, ut vendi, publicarique possit, concesserit.

Idem tam demum faciendum, cum exploratum habebitur, Typographum fideliter se in suo munere gessisse, neque ab Exemplari manuscripto vel minimo discessisse. Qui contra facere ausus fuerit, graviter & severe puniatur.

§. V.

Curent Episcopi, & Inquisitores, quorum munus erit facultatem libris imprimendi concedere, ut eis examinandis, spectare pietatis, & doctrine viros adhibeant, de quorum fide & integritate sibi polliceri queant, nihil eis gratis daturus, nihil odio, sed certum humano affectu posthabito. Dei duxat gloriã spectantur, & sicut populi utilitatem.

Tantum autem virorum approbatio, unã cum licentia Episcopi, & Inquisitoris, ante initium operis imprimatur.

§. VI.

Typographi, & Bibliopole coram Episcopo, aut Inquisitore, & Roma coram Magistro Sacri Palatii, jurejurandopondeant, se manum suam catholice, sincere, ac fideliter executorum, hujusque Indici decretis, ac Regulis, Episcoporumque, & Inquisitorum editis, quatenus eorum artes attingunt, obtemperaturos, neque ad sue artis ministerium quemquam scienter admitturos, qui hæreticã labe sit inquinatus.

Quod si inter illos, insignes, ac eruditi nonnulli versentur, fidem etiam Catholicam juxta formam à Pio IV. sel. recod. prescriptam, eorumdem Superiorum arbitrio, profiteri teneantur.

§. VII.

Liber Auctoris damnati, qui ad prescriptum Regulam expurgari permittitur, postquam accuratè recognovit & purgatus, legitimeque permixtus fuerit, si deinceps imprimendus, præferat titulo inscriptum nomen Auctoris, cum nota damnationis, ut, quantumvis quoad aliqua liber recipi, Auctori tamen repudiari intelligatur.

In eisdem libri principio, tum veteris prohibitionis, tum recentis emendationis, ac permissionis mentio fiat, exempli gratia, Bibliotheca à Conrado Gesnero Tigurino damnato Auctore olim edita, ac prohibita, nunc juxta Superiorum expurgata & permixta.

Et hæc de Lestione, Retentione, & Impressionem librorum prohibitorum prolixius scribere utile duximus; quia multos circa hanc materiam errores, abusus, & corruptelas, præsertim in his partibus videre est, non sine magno Religionis, morum, & animarum præjudicio, quibusdam Scripioribus sua nimis liberã, & minus solida doctrinã non modicam ad id prætentibus animam.

De Tolerantia Hæreticorum, & liberi exercitii Religionis eorum: ubi etiam de Federibus Principum Catholicorum cum Hæreticis, & Infidelibus, nec non de Bello cum ipsis, & contra ipsos.

SUMMARIUM.

- 139 Loquendo de Jure communi nec recipi, nec tolerari possunt Hæretici, & rits eorum in territorio Catholico, sed eos ubique repellere, expellere, & exterminare tenentur Principes Catholicis.
- Probatur ex Jure Canonico. Ibid.
- 140 Et Civili.
- 141 Ac ratione; quia nempe sicut Hæresis peior Judæismo, & Paganismo, ita etiam Hæretici peiores, & perniciosiores sunt Judæis, & Infidelibus. Et non. seq.
- 142 Item quia ex constanti commoratione cum ipsis majus scandalum, & perversiois periculum consurgit, quam ex cobabitatio cum Judæis. Et non. seq.
- 143 Item diversitas Religionis graviter obeſt tranquillitati publicæ.
- 144 Ad evitandum hujus Religionis, vel Ecclesiæ Catholicæ malum recipi, & tolerari possunt Hæretici in locis Catholicis.
- 145 Non verò ad evitandum aliud malum, vel procurandum bonum temporale. Et non. seq.
- 146 Doctrina practica ad propositum.
- 147 Recipi insuper possunt & tolerari, si per pacis, vel alium contractum ex objecto non invalidum, vel malum id eis fuerit promissum.
- 148 Nova emergente causã juxta iterum expelli possunt.
- 149 Quare in Germania tot existant, & tolerantur Hæretici?
- Pax Religiosa Catholicos inter & Hæreticos Passivi imita, & Augustæ confirmata an valeat? Ibid.
- 153 Quid Juris de Pace Osnabrugiensi, & Monasteriensi?
- 154 Bulla Innocentii X. per extensum, quã invalidatur & reprobatum utraque memorata Pax.
- 155 Reflexiones super hac Bulla relinquuntur Lectori.
- 156 Proponitur, quã ardua, & quanti momenti, quanteque difficultatis sit summe practica Questio, an & qualiter liceat Principibus Catholicis juvare Infidèles, & Hæreticos, vel nihil ipsum invocare contra alios præsertim Catholicos: ubi etiam adhortatio fit ad Consiliarios, Theologos, & Consiliarios Principum Catholicorum, atque ad hos ipsos.
- 157 Circa quam Questionem certum est I. Quod Principes Catholici Infidelibus aut Hæreticis non possint præbere auxilium, nec petere ab eis ad bellum patenter injunctum.
- 158 Certum est II. Non posse Catholicos opitulari Infidelibus aut Hæreticis in bello, quod pro dilatanda sua falya, & retringenda nostra vera Religione gerant.
- 159 Nec potest illos juvare, vel saluti cum illis inire sub conditionibus Ecclesiæ, vel Religionis præjudiciosas, vel cum damno ipsorum.
- 160 Certum est ulterius, non licere Principi Catholico in bello etiam juxta invocare Infidèles, aut Hæreticos pro auxilio cum conditionibus Ecclesiæ præju-

